



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Agendum hoc libro de Legatis à latere. In primis autem explicandæ
Legatorum species quæ in jure Romano occurrunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

I. X. Vicarij Praefectorum pratorio instituti à Constantino. Vices gerant Praefectorum; sed vice sacra iudicant. Vicarij instituti in unaquaque Imperij Diacefi. Alij sunt qui vicem Praefidis obtinent in provincia, ex

mandato Principis, puta Praefide defuncto, vel aliam ob causam.

X. Legati alterius generis, qui à Principe electi, negotia publica cum exteris gentibus procurant.

I.



OST assertam superiore libro conservandarum Libertatum Ecclesiae Gallicanae auctoritatem, Legatorum à latere dignitas & claritudo priorem locum sibi vindicat in his Dissertationibus, quae jura illa specialia & eximia complectuntur quorum usus in regno à multis seculis invaluit. Ne autem imparati in hanc materiam incidamus, ante omnia sedulo perspicendum est quo exemplo in Ecclesiam Legatorum & significatio & auctoritas confluerit. In eum finem juris Romani vestigia nobis inventiendae sunt, ubi varias Legatorum species inveniemus, quae ad Legatos Ecclesiae aliqua ex parte accommodatae sunt.

D. & C. de legationibus.

II. Quidam Legati municipales dicuntur, quibus ordinis sui vel curiae decreto legatio injungitur, non ut lites municipiorum, quod Syndici universitatis est officium, sed ut reipublicae negotia apud Praesidem provinciae, vel Praefectum pratorio, vel etiam apud Principem prosequantur. Alij sunt provinciales Legati, qui tractatu habito in Concilio ordinario totius provinciae, vel etiam extraordinario, ad Principem vel ad sedem praefectorianam pro repentinis casibus, quibus provincia vexatur, mittendi designantur. De his Legatis provincialibus intelligenda est lex Venuleij (etsi de Legatis Proconsulum agi hoc loco putet vir eruditissimus) qui ejus duntaxat criminis eos accusari posse ait quod ante commiserint quam in legationem venerint. Iis qui publicas istas legationes obeunt, sumptus seu legativa praestantur, & officio functis, biennij vacatio indulgetur. Ne autem superfluis impensis civitates onerarentur, edicto Vespasiani praecipitur ne plures quam ternos Legatos mittant. Sed legationes istae inter munera recensentur ad quae subeunda unusquisque civium ordine cogitur, ita ut vicarios dare non possit, nisi filios suos; neque alienis neque propriis negotiis se interponere, quando legatione fungitur. Hujus quoque generis sunt legationes illae quae ab exercitibus aut à corporibus missae ad Principem: quarum frequens mentio apud historicos.

L. J. C. de Legat. L. Hoc accusare. ff. de accusat.

L. 4. §. ult.

L. 8. ff. cod.

III. Alia est Legatorum species; quibus jurisdictio competit una cum reipublicae administratione. Quod ut accuratè intelligatur, observandum est ex institutione & partitione Augusti duodecim provincias pacatiores assignatas fuisse populo Romano;

quarum duae proconsulares erant, Asia & Africa, decem verò pratoria, quas enumerat Strabo. Reliquas omnes sibi Caesar retinuit, & regendas suscepit. In initio autem populus auctore Senatu, deinde verò Senatus solus consulares viros, aut pratorios, provinciis suis praeficiebat, qui consulari vel praturae functi, illis imperio proconsulari praessent; quamvis ab ea lege paulisper dispensatum fuerit, & iis administratione commissa qui nunquam eos magistratus gessissent. Inde Proconsules dicti omnes quibus populi provincia creditae erant, nulla ratione habitae an functi essent consulari; quemadmodum ex Tacito colligere licet, qui Petronij meminit Proconsulis Bithyniae, ad consularium deinde promoti, & ex Constantij lege, quae separatim nominat eos qui Consules ordinarij fuerunt, & qui proconsulari honore erant sublimes. Quo respexit etiam Iustinianus in Novella xxx. dum observat provincias olim decretas fuisse, vel iis qui consulari functi essent, vel aliis qui Proconsules dicerentur. Haec sunt verba interpretis: *Romanis in more fuit ut vel designatis Consulibus, vel his qui illorum loco proficiscerentur, quos Proconsules vocabant, provincias sortirentur.* Non sincerè reddidit Graeca. Non enim designatis Consulibus, sed iis qui consularium gessissent, *ἡγεμόνοις τῶν δόξων*, non verò *ἡγεμόνοις*, Iustinianus ait datas fuisse provincias. Plenissimam autem jurisdictionem in provincia Proconsul habebat; adeo ut omnium partes qui Romae vel quasi magistratus vel extra ordinem jus dicerent, ad ipsum pertinerent, majusque imperium in provincia haberet post Principem. Vnde sex fascibus utebatur, quae erant proconsulatus insignia, ut notavit Vlpianus; vel (ut plenius explicat Iustinianus, Proconsuli Cappadociae à se recens instituto proconsulatus ornamenta decernens) carruca argentea & fasces cum securi. Proconsul Cappadociae, inquit Iulianus in Epitome Novellae, *habeat carrucam argenteam, & securam, & fasces, & omnia vetera proconsularia insignia.* Quibus addi potest *ἡγεμόνιον*, sive vestis purpurea palmata, quam solennioribus & festis diebus Proconsul induebat, teste Iustiniano, qui hoc antiquum ornamentum genus Proconsuli Palaestinae concessit.

IV. Quare prudenter Augustus, cum magistratuum omnium qui intra vel extra Romanum imperio uterentur auctoritate & titulis ornari atque augeri vellent, proconsulare

Strabo lib. 11.

Tacit. ut Annal.

C. Tit. de Praes.

Iustinian. c. 1.

L. 4. §. de off. Praesul.

Not. 11. c. 6. Not. 11.